DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE BALNEIS FRIGIDIS QUAM PRO...

Maximilian Kunz

Dissertatio Inauguralis

MEDICA

DE

BALNEIS FRIGIDIS

QUAM

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

C. R. UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

MAXIMILIANUS FIDELIS KÜNZ

RHAETO-AUSTRIACUS LAUTRACHENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXVIII

SEINEM WAHREN FREUNDE UND COUSIN

JOSEPH FIDELIS EBENHOCH

SEINER EDLEN FREUNDIN UND

COUSINE NANETTE EBENHOCH

ALS ZEICHEN STETER ACHTUNG

UND INNIGER FRUENDSCHAFT

DER VERFASSER

98

Tumores autem in articulis et dolores absque ulcere podagraicos et convulsiones horum plurimas frigida multa affusa et levat, et attenuat, et dolorem solvit.

Hippocrates.

ALIQUID

DE BALNEIS IN GENERE

Balneum, Graecis βαλανεῖον, Italis il bagno, Germanis das Bad, sensu strictiori omnem corporis vel partes corporis in aqua submersionem et aliquam illius in hac commorationem denotat. Quo cum jure similis corporum fluido-elasticorum aut firmarum substantiarum, uti gasorum et arenae etc. applicatio, balnei nomine donari possit, nemo erit qui non intelligat. Quae nobis natura exhibet, quibus absque artis auxiliis utimur, naturalia audiunt; quae autem arte parantur, quibus corpora medica aut similia adjiciuntur, artificialium sub nomine veniunt. Quoad numerum partium quae immerguntur, balnea dividi possunt in universalia, scilicet ubi totum corpus, dimidia seu semicupia, ubi usque ad lumbos aquae imponitur, aut localia, quando id de singulis partibus fit, uti e. g. pediluvium, si extremitatibus inferioribus, collyrium, quando oculis adaptatur etc. Huc vulgo censentur etiam injectiones, clysmata cum aqua, epithemata cum glacie, nive etc. Secundum applicationis methodum dividuntur:

a) In balnea per stillicidium seu stillatitia, quae aquae ex aliqua distantia in partem unam aut plures sub forma guttarum lapsum designant.

b) Per affusionem sive perfusionem (douche) aquae majori quantitate adhibita notatam.

e) Violenta seu balnea per immersionem, ubi homo ex inopinato de aliqua altitudine aquae immittitur.

Alia autem balneorum divisio maximae dignitatis ex temperaturae differentia prodit. Caloris autem et frigoris gradus, absolute a thermometro, relative ab individuis, quae semper inter plus et minus adhuc distinguit, receptivitate indicatur. Si vero frigus aut calor majorem gradum attigit, ibi nulla amplius receptivitatis habita ratione balneum aut frigidum aut calidum vocamus. Respectu intensitatis balnea frigida in subfrigida et frigida proprie sic dicta, seu multum frigida; calida in tepida et calida proprie sic dicta subdividuntur.

Homo sanus usum balnei facit, ut cutis munditiem curet ejusque functiones facilitet, aut corpus tempore aestivo refrigeret. Huic scopo adhibita balnea, qua remedium hygienicum considerari possunt, et sub hoc respectu gratam in cute et universo organismo sensationem provocent oportet. Quatenus autem certum temperaturae gradum superant, talique pacto coenesthesim inamoene afficiunt, non tam hygienicis quam therapeuticis potius adnumeranda sunt. Dum e contra nihil obstat, quominus illa vix superius nominata non solum ad sanitatem conservandam, sed etiam ad morbos multifarios debellandos in auxilium vocentur.

Pauca nunc verba faciam de effectibus, quos balnea generatim producunt, universalibus et specialibus. Effectus omnes rite in mechanicos, organo-chemicos et dynamicos subdividere juvabit.

a) Balnea corpus humanum densiori ac graviori, quam quae ab aere formatur, atmosphaera cingunt, sub eodem volumine majorem molecularum numerum cum corpore in contactum ferenti. Haec est igitur ratio, cur sub eodem temperaturae gradu frigus aut calor in aqua citius et intensius quam in aere percipiatur. Subtractio enim aut addi-

tio calorici in illa consequenter rapidius fit. Quis hic balnei effectum mechanicum universalem non videt?

b) Balnea ope vasorum absorbentium corpori majorem aut minorem aquae quantitatem suppeditant. Nonnulla, id quod de calidis imprimis valet, per imbibitionem cutem turgidiusculam et mollem; alia uti frigida, duram, siccam, impressionibus magis resistentem reddunt. Minori igitur aquae, qua fluidi stillatitii, cohaesioni, et majori ex altera parte diffusibilitati effectus mechanici speciales debentur.

c) Aqua, quae materies valide diffusibilis in sua principia, hydrogenium et oxygenium, datis circumstantiis facile dissolvitur, id quod praecipue in eo aquae strato accidere potest, quod corpus proxime circumdat. Huic dissolutioni favent calor animalis, varia cutis secreta, horum indoles diversa, major illorum ad unam alteramve aquae partium constituentium affinitas.

Effectus itaque organico-chemici haud sat noti ex balneo in corpus humanum tanto magis redundare videntur, quo tenerior sensiliorque cutis deprehenditur, aut quo magis epidermidis laesionibus atque spoliationibus patitur. Quae ex hisce inter balneum et aera scaturiunt differentiae haud notabiles sunt, cum et hic respectu chemico, stechiometrica solum ab aqua differt proportione. Major autem aquae et hinc etiam balnei actionis organo-chemicae intensitas ex particulis, quibus aqua simplex semper impraegnata, derivanda est. Secundum celeberrimum Hartmann aqua praeter partes constituentes principales, oxygenium scilicet et hydrogenium, carbonium etiam, azotum, sales terrestres et alias subinde materias organicas continet. Has partes admixtas etiam in casu, quo solum aquae usum externum facere velimus, probe respiciendas esse, monere superfluum erit, et angustos dissertatiunculae limites excedens.

Summi denique momenti est vis dynamica, qua balneum

in organismum agit; non solum qua medium consideratum, cujus ope caloricum et electricitas, et fors adhuc alia in macrocosmo latentia imponderabilia cum microscomo et ejus ponderabilibus in mutuam relationem ponuntur, et aequilibrii inter utrumque plus minusve turbati restitutio facilitatur; sed qua vehiculum, quod dum diversos caloris gradus admittit, eodem passu diversas organismi et mundi externi imponderabilium relationes mutuas producere valet. Denique vi suae nervos stimulanti et peculiari sensus, ab aquae temperatura provocatae affectioni, effectuum dynamicorum haud minima pars debetur.

Speciales balneorum effectus tam primarii quam secundarii a diverso temperaturae gradu, diverso temperamento, receptivitate et constitutione corporis, climate, aetate, consuetudine etc. dependent, de quo in balneo frigido mentionem facere censeo.

Conspectus historicus.

Antiquissimarum gentium corporis munditiei aut sudoris restrictioni, nec non moderandae caloris sensationi studentium, mos saluberrimus fuit, ut quotidie balneo frigido uterentur. Benigna haec consuetudo, cui aditus ad omnes patefieret, religiosis caerimoniis adnumerata est. Aegyptii initium fecerunt, et eo magis mori obsecundarunt, quo magis climate urgebantur. Propterea, monente Prospero Alpino, in balneo frigido pro tot morbis remedium habuerunt. Ter de die Aegyptiorum sacerdotes se balneo frigido immiserunt; mox et illi Israelitarum, religionis lege coacti, horum exemplum imitabantur. Exinde pontifex, priusquam sacra faceret, corpus balneo abluere debuit; et reliqui sacerdotes, antequam templum ingrederentur, manus et pedes, posterioribus temporibus etiam totum corpus lavarunt. Sic et reliqui Israelitae, quamprimum impuri facti, sive phy-

sico aut morali respectu contigerit, idem facere debebant. Hinc ab impetigine sanati aut cum mortuo sepeliendo occupati, balneo universali depurandi erant. Solummodo discrimine publico lex severa intermissionem concessit, poenitentibus autem omni tempore balneorum usum interdicens.

Inter Graecos Lacedaemonii primi balneis fluviatilibus et marinis, et quidem uterque sexus communiter utebantur. Morem et mox reliqui exceperunt; postea balnea publica exstruxerunt, quae cum gymnasiis junxere, ubi in peculiari quodam cubiculo (λουτρόν) in soliis balneatoriis (ἀσάμινθοι) supra pavimentum suspensis, fixis aut mobilibus, balnea frigida capiebant. Apud Athenienses mos fuit, ut sponsus et sponsa ante noctem hymenalem pedes abluerent aqua frigida, ab amico puero ex fonte (καλλίῤῥοος) hausta.

Sero balneorum usus in occidente invaluit; ibi Romani primi in fluviis sese lavabant, et natando exercebant. Mercurialis narrat, juvenes a gymnasticis exercitiis aestuantes, in Campo Martio, ut novas acquirerent vires, sese Tiberi immisisse, et probe circumnatasse. Imperatore Augusto balnea virtute medicatrici celebrata ad augmentum numeri et fabricae eorum magnificentiam et vastitatem multum contulerunt. Hinc aedes stupendae exsurgebant, hortos et silvas recludentes, deliciis effeminatis magis quam sanitatis conservandae aut recuperandae scopo dicatae. Sub Imperatoribus christianis balnea, una cum corporis exercitiis neglecta fuerunt. Arabes, religionis causa, balneis haud carere potuerunt; illis autem Gallia meridionali et Hispania expulsis, et haec destructa fuere. Lavatio totius corporis apud antiquos ad nundinas restricta fuit, deinde fere quotidie; postea ad certam diei horam, et denique absque lege consuetudini obedientes, hora, qua placebat, balneum frigidum sumpserunt. Et quod Russi hodierno die faciunt,

simili modo jam fecerunt Romani, ex aqua scilicet calidiori protinus frigido immersi; quam curam medicus Musa, et imperante Nerone medicus Charmis suadebant.

Scythae balneorum frigidorum et hiemali tempore usum fecerunt; cutis sensibilitatem exinde ita obtundentes, ut corpus seminudum aeri atmosphaerico absque damno exponere potuissent.

Veteres Germani balneum frigidum praediligebant, simulque artis natatoriae peritissimi erant. Tempore matutino mas et femina, ut balneo corpus mundarent et reficerent, fluminis undam petierunt. Nec minus Lacedaemoniorum, Celtarum et Tartarorum nostratum in modum infantes aquae frigidae mature immerserunt. Nostris diebus Israelitae et Orientales, in specie qui Indiam orientalem incolunt, tum religionis lege, tum sanitatis et consuetudinis causa; illi plerumque in locis secretis et sacris, hi in fluviis, nominatim flumine Gange, balneo uti amant. In magna Europae parte balneorum frigidorum usus per saecula neglectus fuit; ab aliquot autem annis aqua frigida iterum ut egregium remedium sub variis applicationis modis, tum interne, tum externe topice et universaliter, frequens in usum vocata, medicorum spem permultis in casibus certe non fefellit. Intra hos excellunt John Floyer Anglus 1722, qui de Psychrolusia scripsit.

John Smith, de virtute aquae, quam ipse proprio corpore sat comprobatam vidit, libello edito, clarus.

In Italia ab anno 1720-1736 tres aniatri famosi, Cadaro scilicet, cum aqua frigida; Pater Bernardo aqua glaciali; Sangez aqua niveali et glacie stupendas curas facientes, publicam admirationem excitarunt. Fridericus Hoffmann aquam panaceam, si quae existeret, esse promisit. Sigismundus Hahn 1738 multum de hydriatice scripsit et usum fecit. Hahnemann jam ante 50 annos aquam laudibus extulit. Hufeland illi saeculo nostro encomia fecit. Haud exiguam

autem praecipue in Germania de hydriatice famam sibi procurarunt aniatri professor Oertel et Vincentius Priessnitz.

De balneorum frigidorum agendi ratione.

Balneum frigidum aut melius frigidiusculum dicitur illud, quod aquae fluviatili tempore aestivo propriam exhibet temperaturam. Effectus balnei frigidi et subfrigidi in genere iidem sunt; in specie vero secundum aquae temperaturam, individui incitabilitatem, consuetudinem, moram in ipso longiorem aut breviorem, quoad intensionem equidem variant. Balnei talis effectus primarius consistit in totius corporis concussione, electricae haud absimili. Ex subtractione calorici levis spasmus nascitur cutaneus, cutis pori constringuntur, vasa capillaria contrahuntur, interrumpitur secretio cutanea. Venae cutaneae superficiales disparent, levis tremor convulsivus, pallor, respiratio quidquam citata ac irregularis in conspectum veniunt, pulsus jam in primo temporis minuto frequentiores, in quarto autem postea iterum tardiores tanguntur. Diuturniori in balneo mora, quin movimentis corpus exerceatur, accumulatio sanguinis in penetralibus, urinae secretionis augmentum contingunt; capitis dolor obtusus et in epigastrio sensatio majoris ponderis et denuo rigiditas et anesthesia partium haud motarum percipiuntur. Lineamenta faciei hominis in agone jacentis imaginem exhibent: oculi profundi in orbitam retrahuntur, nasus acuminatur, digitorum voluminis imminutio, horumque color peralbus, stridor dentium et spastica maxillae inferioris contractio pedisequae sunt. Cordis vis manifeste tunc augetur, ut obstaculum a contractione totius peripheriae pro sanguinis circulo natum superet; hinc dolores retro sternum, circulatio in vasis majoribus turbata, sensatio constrictionis pectoris.

Facto balneo et cute siccata, sanguis iterum ex centro versus peripheriam pellitur, nasciturque ille processus, qui

sub reactionis nomine venit; cutis rubet et grata quaedam aestus aut levis ardoris sensatio enascitur, pulsus fortior et plenior redit, transpiratio augetur, et activitas organorum ex quibus caloricum animale extricatur, exaltata cernitur. Haec autem reactionis symptomata aquae temperaturae altiori aut inferiori constitutioni individui et praecipue autem statui, in quo vix antea fuit plus minusve exaestuato aut exagitato correspondere solent. Sic e. g. debiles et stimuli fortioris impatientes diu adhuc tremunt et titubant, et sero aut vix reactionis phaenomena comparent, unum alterumve symptomatum molestorum, imo et febriculam diu retinent. Exstant autem exempla, quod etiam robustiores similibus plectebantur. Balnei subfrigidi quales sint effectus secundarii, quaestio nunc dilucidanda erit. Notandum habeo non solam reactionem oculo tenendam esse; quo respectu stimulantis et momentanei esset effectus, nec mere roborantis, nec deprimentis, cum individui debilioris functionem cutaneam restringendo organa interna e contra irritando, colicas; spasmos, diarrhoeas provocare posset; in robustiori receptivitatem cutis in stimulos solummodo obtundere valeret. Si autem effectum principalem et immediatum calorici quo corpus molestatur, subtractionem consideramus, in balneo frigido remedium deprehendimus restaurans, quod scilicet vires impeditas vinculo solvit et reficit. Non qua stimulus positivus agit; quia haud addendo, sed functiones restituendo simili ratione efficax est, ac sanguinis subtractio, quae apoplectico iterum motum reconciliat, quin novas vires addat.

Balnea frigida subtractione caloris animalis exorbitantis aestum nimium componunt, factorem positivum praevalentem refrenant, vitalitatem nimis exaltatam deprimunt, nec non in genere processus chemico-animales infringunt evagantes. Hinc facile intelligitur sub magno aestatis calore repetitum vim nervosam incitare, musculorum contractilita-

tem restituere, debilitati ex sudoribus copiosis inductae obicem ponere, digestionem lapsam extollere, atrabilis formationem compescere, justum inter sanguinem arteriosum et venosum, vasa et nervos conflictum dynamicum et dynamico-chemicum restituere.

Notum est in Antillis insulis in balneo frigido praestantissimum contra febrim flavam prophylacticum haberi.

Qualitas aquae et modus, quo balneum capitur, differentiam etiam in effectu sistunt; qui in aqua currente intensior est, quam qui in stagnante obtinetur; subtractio enim caloris per undas continuo appellentes rapidior fit, et sensatio frigoris, manente eadem in utraque temperatura ob illam continuam renovationem, intensior est; id quod et de balneo in mare capto valet. Utrique datis circumstantiis major est vis restaurans; aqua marina autem praeterea adhuc ob sales contentos cutem irritat.

Vogel et alii contendunt de balneo in mare aperto facto, cutem fortius quam aqua dulci affici, frigus a caloris sensatione gratiori atque intensiori citius excipi, et paulo postea pruritum vehementem enasci et haud raro exanthema rubrum exiguum et nonnullas plagas rubefactas in cuti observari. Secundum illorum experientiam primam frigoris impressionem nulla amplius horripilatio, nec tam facile refrigerium secutum est. Agendi ratio peculiaris non solum salibus, sed etiam majori corpus ambientis medii densitati inhaeret; et hoc ultimo respectu mixtionem organicam immutare aut morbosae resolutioni obesse, aut hanc penitus impedire, conjicere possumus.

Virtus balnei frigidi intenditur per motus activos, inter quos natatus excellit; nam ob medii, in quo fiunt, frigus et densitatem nec minimam humorum jacturam admittunt, musculis robur procurando et systematis nervosi agilitatem compescendo.

Num corpori in climate calido exaestuanti, laboribus ac

intentionibus defesso, melius quam moderate calidum conveniat, quaestio est? Balnea moderate calida huic corporis statui optime mederi jure meritoque concludimus; expansio enim et relaxatio per haec inducta texturis quietem conciliat, id quod ad earum restaurationem magis certe contribuit ac si statim ope balneorum frigidorum ad subitaneam contractionem, facili negotio vitam periclitantem sollicitarentur; et hic aliquam cum somno et quiete similitudinem deprehendimus. Ubi autem delassatio corporis tantum in sensatione aestus, aut humorum attenuatione et subtractione causam agnoscit, aut sudor vestimentorum calore prolicitus fuit, balneum in aqua subfrigida, effectum desideratum praestabit, quod ex dictis sat patet et quod Priessnitz cura manifeste demonstrat.

Regulae et cautelae.

Respectu usus hygienici balneorum frigidorum ad sequentia attendere juvabit: tempus matutinum prandio simplici sumto pro balneo maxime idoneum est. Flumine minus frigido, etiam ad vesperas, digestione probe peracta. Sub sole ardente evitetur propter reactionem nimis validam et sudores debilitantes exinde facile subsecuturos. Sub frigore intenso, aut jove humido-frigido ventoso saltem ab initio balnea haud suadenda sunt.

Ne corpus a labore aut intentione sudans aquae frigidae immergatur; commotio vero moderata prius facta, utilis. Corpus nudum ut pedetentim praeparetur, aeri libero prius exponatur, et partes sensiliores aqua aspergantur. Caput primum lavetur et abstergendo siccetur, aut confestim submergatur, ne congestiones aut tristiora contingant. Ex eadem ratione contra solis radios probe defendendum est. Status erectus, ab illis qui artem natatoriam haud callent, praeferendus est; aqua collum attingat, ut partium incurvatio nullum libero sanguinis circuitui obicem ponat.

Mora in balneo brevis sit, nec decem sexagesimarum excedat, ne effectus nimis intendatur, et ut posthuma symptomata febrilia praecaveantur. Coenesthesis hic plerumque optima consultrix. Frictione, natatu, lotione aut alio modo corporis motus sustineatur. Balneo facto, corpore bene siccato et vestibus induto obambulabis, aut moderatum corporis exercitium facies; ab omnibus animi et mentis intentionibus per aliquot horas studiose cavebis.

Temperaturae gradus pedetentim augeri potest; qua ratione corpus etiam in balneo frigidiori quovis tempore, quavis diei hora, cum fausto successu asuefit.

Infantibus pro balneo faciendo, tempus matutinum arridet, liberetur autem cutis a sudore nocturno praevio; cum aqua egelida primum fiat et successive ad frigidiusculam procedatur. Sexui sequiori, menstruis aut lochiis fluentibus, nocere potest, et quidem tanto magis, quanto minus individuum balneis frigidis assuetum est. Secretionibus glandularum, sudoribus copiosis, exanthematibus, arthritidi et haemorrhoidibus regressum minantibus, balnea vix unquam conveniunt. Qui majori organorum respirationis erethismo laborat, qui ad rheumatismos aut alias irritationes per frigus facile renovandas dispositi sunt, incommode et damnum a balneo frigido patiuntur.

Vestes balneatoriae impulsum immediatum aquae infringunt, et saepe dispositio difficultata earum refrigerio ansam praebet.

Qui lotionem corporis in mari aperto instituere velint, secundum Vogel citius adhuc corpus abstergendum et siccandum habent, nec quotidie usum faciant; sedulo abstineant quando illius aversionem sentiunt, aut anorexia, dyspepsia, somnus turbatus, alvus obstructa, circumstantiae externae, uti tempestas etc. obsunt. In genere biduo interpolato virtus efficacior. Plures aliae circumstantiae usum balnei marini absolute aut saltem relative interdicunt; uti:

plethora major, dispositio ad sanguinis in capite, pectore aut abdomine congestiones, illius circuli per vasa obstacula, viscerum, thoracis et abdominis emphraxes, constans respirationis difficultas, habitualis alvi obstructio, primarum viarum saburrae, receptivitas exaltata, atque in motus convulsivos inclinatio. Graviditas incipiens, faustis reliquis circumstantiis, usum balnei frigidi non vetat.

De balnei frigidi utilitate hygienica.

Ex hucusque dictis abunde liquet, quam benignum influxum balneorum frigidorum usus, tum in corpus sanum, ad sanitatem conservandam et vires roborandas, tum etiam in organismum viribus minus pollentem, ad morbum praedispositum, illas augendo et dispositionem hanc auferendo, exerere valet. Ne itaque, quae adtuli, iterum iterumque repetam, nihil amplius hoc respectu disseram (1), immortalis Hufeland aurea verba idiomate latino adferens.

«Quaecunque genus humanum tot morbis petitum, ad » valetudinem conservandam desiderat, ea balneum praestat; » neque vero cutem solam depurgat, ejusque vitam restau- » rans, quibus praeest, officiis parem reddit; sed animam quo- » que corpusque universum renovat, omni organismo agi- » litatis, industriae voluptatisque singularis sensum insi- » nuat, organorum tam ignobilium, quam nobiliorum ob- » structiones aufert, sanguinis spirituumque vitalium motum » aequabilem promovet et expedit, et vitae internae venu- » stam, qua valetudo et vita beata pendent, harmoniam con- » servat. Corporis aut animi laboribus defatigati, vitae o- » neribus fracti, aerumnis ac moerori vix non succumben- » tes, refrigerium, restaurationem, animumque renovatum e

(1) Erinnerung an die Baeder und ihre Wiedereinführung in Deutschland. Weimar 1801.

» balneo sibi hauriunt, ac me hercle, semper laetiori cum » eventu, quam mero, nec magis in mari, quam in quocum- » que fluvio, quibus premuntur, curas discutient.

» Balneum egregium sistit remedium, nos omni, quem at- » mosphaera exerit influxum, per aliquot tempus, subtra- » hens, et quicumque sensibilitate erga illam molesta adfe- » cti sunt, aeris densi molesteque calidi pondus, balneo, » dum consequenter in elemento plane diverso paulisper » degunt, optime fugiunt. Desiderio perpetuae juventutis, » omnium quae mihi nota, pulcherrimo, balneum etsi non » aeternam, longaevam tamen juventutem conciliare valens, » optime satisfacit eo, quod partium firmarum mollitiem ac » facilitatem artuumque flexilitatem conservat, ac morbo isti » lento, quem in partium organismi exsiccatione motuum- » que difficultate radices figentem, senectutem appellare pla- » cuit, quantum fieri potest, obicem ponit. Nec minus cer- » tum, balnea, cuti puritatem, teneritatem vitamque conci- » liantia, pulchritudinem magnopere promovere, gentesque » quae saepe lavabantur cunctas jam antiquitus venustate » excelluisse. Balneum optimum est remedium climatis no- » stri tantopere inconstantis et vitae generis ipsius poten- » tias nocivas propugnandi, et quae mox dicti valetudinis » inimici corruperint, corrigendi. Si quos libidines exhau- » serint, si potus calidi organa digestoria ac nervos debi- » litarint, si clima ipsum cutem vigore roboreque suo pri- » varit, balnea nervis robur cutique organisationem sanam » restituunt; et quod si a pueritia inde ipsa uti volueri- » mus mox dictas morborum causas, nisi infringant, certe » debilitant. Maxima autem virtus balneorum reficiens, un- » de ipsa medicinam ad evolutionem virium et organorum » incremento atque venustati dedicatorum, assequendam, » perfectam et aequabilem, et, ut verbo dicam, ad efforman- » dos homines fortes ac sanitate beatos, principalem haben- » dam esse censeo, eo imprimis sensu, quod corporis animi-

» que incitabilitati nimiae et morbosae optime renititur. Et » quodsi balnea qua pars educationis ipsius et vitae diae- » tae necessaria declarata fuerint, quodsi omnem septima- » nam absque depurgatione ac restauratione ista elapsam, » perditam putare didicerimus, tum demum sperare licebat, » arthritidem, spasmos, hypochondriam et quibuscunque ma- » lis aetas nostra lente tabescit, cessaturas, majorum Germa- » norum vim et robur, pristinam redituram ac nobis ipsis » proles benedicturas esse. Erimus nos humani generis vo- » candi restauratores, aetasque nostra restaurationis physicae » mater ».

De balneis multum frigidis.

Priusquam balnei frigidi utilitatem therapeuticam in specie exponam, actionem balnei multum frigidi exponere censeo. Etenim nimis difficile foret morbos, in quibus unum prae altero indicatur, a se invicem separare, persuasum nobis habentes eundem morbum sub circumstantiis abunde notis in uno individuo majorem, in alio minorem temperaturae gradum desiderare.

Balneum valde frigidum ad hygienica non spectare, sed qua solum therapeuticum considerandum esse, supra memoratum fuit. Effectus primarios et secundarios eosdem, quos subfrigidum exerit, ast intensiores et fortiores causare, auctores omnes in eandem partem abierunt, Bégin excepto, qui proprio corpore experimenta instituit. Undis Mosellae temperaturam ad 10 usque 16 gradus Reaum. habentibus immissus, phaenomena quae observavit brevi exhibebo. Momento immersionis sensatio viva sanguinis in cava majora, et praeprimis in thoracem repulsi, percipitur. Respirium anhelosum interruptum valde acceleratur et pro momento quasi penitus suspendi videtur. Cutis pallescit, pulsus parvus, profundus, et durus tangitur, texturae omnes

rigidae et immobiles deprehenduntur, nullus observatur tremor, ast omnes corporis partes spasmo detinentur. Duabus tribusve sexagesimis praeterlapsis statum hunc anxium et intolerabilem singularis excipit quies, redit respiratio, thorax ampliatur; corporis motus liberi cum agilitate iterum expediuntur; novus per cutem diffunditur calor ita, ut musculorum vires vigore, agilitate et tenore agere possint. Paulo post rubor intensus omnem corporis superficiem tegit, atque sensatio caloris manifesta et amoena simili modo ac in fluido triginta usque ad triginta sex gradus Reaum. natares per cutem diffunditur; corpus quasi in expansionem niti videtur. Pulsus plenus, magnus et fortis tangendus. Revera vix alia voluptas illi, quam hoc temporis momento sentimus, aequiparanda. Mirum in modum omnium partium flexibilitas, facilitas, robur et firmitas augetur. Post 15-26 sexagesimas grata haec sensatio pedetentim imminuitur, et cito dein frigoris perceptio ingruit, et nisi confestim balneo egrediaris, horrore et tremore universum quatitur corpus, urgente motuum difficultate. Priusquam autem haec reactio finem attigerit, balneo egressus, nec ingrata sensatione tentaberis, et transitus ex aqua in aera liberum vix notabilem provocat mutationem, ac pro sua parte, quantumque ventus cutem afflet, non tam frigoris, quam multo magis caloris perceptionem excitat. Cutis receptivitas in ordinarios corporum tangentium stimulos multum obtunditur ita, ut levis cum panno laneo frictio vix animadvertatur. Bégin porro observavit, balnea priora ab ipso facta reactione citius obtenta superasse subsequa, constantia autem inferiora fuisse. Lentam submersionem et absque motu moram perferre haud potuit. Tandem expertus est, obambulatione eo protracta usque dum cutis ruborem contraxerit, sudoreque tecta fuerit et dein aquae immissum, non solum effectus damnosos haud ullos passum esse; sed e contra reactionem ex omni parte citius, facilius et perfectius intrasse. Omnes qui ante

Bégin, scilicet ante annum 1819 de aqua frigida scripserunt, balnei frigidi et valde frigidi effectus confuderunt; in illo solummodo reactionem, nec effectum per subtractionem calorici nervos molestantis ante oculos habentes, in hoc nec minimae reactionis observationem persequentes, hancque reactionem adhuc sub ipso balnei multum frigidi actu reapse enasci ignorantes.

Applicationis regulae et cautelae.

a) Individua ad congestiones versus caput aut pectus, ad aneurysmata cordis vasorumve majorum disposita a medicamento hocce heroico abstineant.

b) Reactionem sub usu balnei citiorem et fortiorem sequi, quo frigidior aqua, nunquam praetervidendum. Circumstantia haec neglecta in individuo debiliori, facile mortis causam sistere posset, dum ex stimulo concutienti quidem, attamen non sat forti pro viribus debilibus ad renisum vivum excitandis prius illarum plenaria exhaustio quam hujus phaenomena obvenirent.

c) Temperatura individuo adaptetur; valet autem regula, quo minus individuum viribus pollet, eo frigidius balneum fiat, ast eo brevior mora in illo. Hinc duas tresve sexagesimas vix excedat. Individuis robustioribus reactionem in aqua ipsa expectare licet, quae quamprimum compareat, confestim exeant. Debiles lectum petant modice calefactum, nec non infusum theatum leniter stimulans hauriant, ut motus humorum versus peripheriam adjuvetur.

d) Cum ulterioribus balneis vi sua cutem stimulante pedetentim quid detrahatur, sensim sensimque frigus, in quantum licet, augere necessarium est.

Balneorum frigidorum et valde frigidorum applicatio therapeutica.

Balnei frigidi usus therapeuticus eadem, ac medicina ipsa, aetate gaudet. Aquam frigidam calefacere, calidam refrigerare medicinae pater Hippocrates monet libro 5 de epidemiis, ubi feminam doloribus abdominis immanibus cruciatam triginta in universum corpus factis affusionibus frigidis a morte salvasse narrat (sub affusionibus simul etiam balnea, quae magni aestimabant, veteres intellexisse, omni jure conjicere licet). Galenus balneum frigidum in febri hectica laudat. Recentiori tempore permultis in morbis iisque periculosis et rebellibus insignem praestiterunt utilitatem. Huc spectant morbi cutanei, scabies, elephantiasis, tinea capitis, herpes, ulcera mali moris.

Porro applicatur in rheumate, arthritide, scorbuto, febribus putridis, typho sub eruptione febris cum summa tamen cautela, febribus intermittentibus, sudoribus profusis, blenorrhoea e catarrho chronica, fluore albo, medorrhoea benigna, dyspepsia et pertinace alvi obstructione, intestinorum laxitate, cardialgia, vomitu chronico, colica flatulenta; in paralysi praecipue rheumatismum chronicum excipiente, in tabe, atrophia, in rachitide, scrophula evoluta, et etiam ut prophylacticum contra dispositionem scrophulosam et rachiticam. Gravi infantium dentitione frigidiusculum in syphilide inveterata ex abusu imprimis hydrargyri graviori; contra effectus venenorum acrium ac narcoticorum, in lithiasi, enuresi, affectionibus haemorrhoidalibus, metrorrhagia, et profluviis cruentis in genere; in impotentia virili, sterilitate, ambliopia amaurotica, diabete, nec non in affectionibus systematis nervosi, uti: in hysteria, hypochondria, chorea St. Viti, epilepsia, priapismo, nymphomania, rabie canina. Qui sub influxu caloris affectiones nervosas

116

exacerbari semel observavit, balnei frigidi in nevroses efficaciae fidem haud denegabit. Sic medicus Villaret febrem cerebralem in matrona 39 annorum sanasse adserit, quam balneo frigido repetita vice per quinque sexagesimas impositam, dein in cubiculo calefacto ope telae laneae omni corpore fricandam curavit; sudor large fluens morbum debellavit. Contra ballismum in Gallia, balnea multum frigida violenta, fausto successu in usum trahi solent. Balnea in mari aperto instituta secundum celeberrimum Hartmann in debilitate nervosa universali, scrophula blenorrhoeis, impetiginibus, majori ad catarrhum et rheumatismum dispositione magnopere commendantur.

Methodus Priessnitzii.

Quantam autem balneorum frigidorum et omnis aquae usus recentissimo tempore in medicina dignitatem adepta sit, ex ipsa hujus aniatri methodo, quam paucis lineamentis exhibebo, optime perspicietur.

Vincentius Priessnitz naturae alumnus, scientiis haud eruditus, genium proprium secutus, experientia duce novum fontem detexit, ex quo catervae malorum, genus humanum, omni pharmacorum virtuti refragando vexantium nova vis deleteria scaturit. Proprio marte vix septemdecim annorum juvenis, aquae, quam montes circa Graefenberg largiuntur, vires in contusionibus levioribus et continuitatis laesionibus etc. tentavit, obtentasque exinde cognitiones fida ac indefessa observatione auxit, multis miseriis exhaustis, quin unquam medicorum aut librorum consilium in auxilium vocarit, sanitatem et pristinum robur restituens. Homines a naturali vivendi rationis tramite aberrantes, sanitatem perditam tunc tantum recuperare posse, quando ad naturam simplicem reduces fiunt et ad elementum in universo late diffusum, quod omnium naturae productorum

vitam fovet et sustinet, ad aquam confugiunt, diu jam sibi persuasum habens; in montosa Silesiae regione circulo Troppanense a Graefenberg, balneum publicum exstruxit.

Cognitionibus medicis Priessnitz haud imbutus est. Nobiliorum organorum situm in corpore hominis equidem noscit, ast nervorum functiones et structuram penitus fere ignorat. Qua medicus itaque materialis ortum sanationemque morborum, quos tamen accurate a se invicem distinguit, ex principiis pathologiae humoralis deducit. Praeter morbos ex acrimoniis, humoribus depravatis, sanguine nimis tenui spisso etc., etiam eos qui ex mera debilitate nascuntur, concedit. Omnis ejus curandi methodus consistit.

a) In diaeta simplici naturae convenienti:

b) Motu activo frequenti, in aere libero.

c) Iteratis ac copiosis aquae fontanae recentis haustibus.

d) Variis ejus ad usum internum et externum applicationis formis.

e) Sudores proliciendo et balneis subsequis frigidis.

His solis atque unicis remediis utitur Priessnitz in diversissimorum morborum cura, et quot sunt morbi, tot etiam illius modificationes sunt. Ad diaetam quod attinet, nec famem pro scopo habet, nec debilitatem, sed corporis robur, quod efficere studet cum alimentis simplicibus, bene nutrientibus, maxima parte ex regno animali desumtis, cum lacte frigido et pane. Cibos refrigeratos, haud conditos, parum salsos sumi vult; potulenta spirituosa et omnia stimulantia vetat, haustui exiguae vini vetusti meraci portionis in individuis ad aetatem provectiorem accedentibus haud obest. Aquam praecipue tempore matutino et ad prandium magna quantitate haurire suadet, pharmacorum usum nemini permittit; aeris torrenti aegros diu noctuque exponere amat, vestimenta levia esse vult. His omnibus et frequenti in aere libero commotione receptivitatem nimiam erga frigus, pluvias, aerem etc., obtundi et humo-

rum crasim plane immutari demonstrat. Organismo tali modo praeparato ad balnea frigida transit, universalia aut localia secundum morbi naturam. Ut autem reactionem vis medicatricis in omni corpore aut in singulis tantum partibus morbo correspondentem excitet, diaphoresim aut potius febrim artificialem inducit, cujus ope balnei virtutem medicam augeat, et bullarum cruentarum (blutblasen) ex aqua frigida in cute ortum praepediat. Prolicitur autem hic sudor aegrum pannis laneis, et si cutis delicata haec recusat, linteis siccis, ac difficile sudantes panno linteo aquae frigidae immerso et dein expresso probe involvendo, superadditis dein laneis siccis. Ubi impetigo et ulcera praesto sunt, iisdem fomentis teguntur. Aeger de tempore in tempus poculum aquae hauriens sudorem exspectat, quo comparente fenestrae aperiuntur, ut aer vivus cubiculum perspiret. Sudoribus per horam circiter continuatis, tegumentis confestim abjectis et capite humectato aeger vas balneatorium ingreditur, aqua frigida continuo affluente et defluente impletum. Omnes corporis partes, ut mitior evadat horror, probe fricando et caput saepius submergendo 5-6 sexagesimas moratur, et dein sub amoenissima refectionis et caloris sensatione e balneo exit, atque corpore siccato in aere libero per mediam horam obambulat. Sudores illi minime sunt debilitantes, per calorem tegumentorum humores ad cutem alliciuntur et producta morbi exhalantur, quo tempore etiam Priessnitz aegros suos visitat, et ex qualitate sudorum indicationes therapeuticas ulteriores depromit. Qui debilioris sunt constitutionis lotionibus, balneis in aqua mitioris temperaturae praeparat etc. Diaphoresim secundum individui et morbi qualitatem ad diapnoen restringit modo, modo in casibus rebellibus illam intendit. Maximus et penetrantissimus externae applicationis aquae effectus ope *douché* obtinetur; ubi undae radius latitudinis 4-6 pollicum ex altitudine 12-18 pedum corpus, aut partem

prae aliis obruit. Ubi alias reactio sufficiens et promta excitari haud potest, in usum trahitur; nec in corpus sudans, nec in refrigeratum illa adfusio fiat. Duratio a 2-5 minuta variat. (Aquam hanc valde frigidam et temperatura 8 graduum Reaum., vix inferiorem unquam esse, adserunt).

Paucis dius beaut septimanis post, aquae effectus manifesti evadunt, et phaenomena critica sub forma eruptionum cutanearum, quarum quatuor species numerantur, scilicet: noduli, vesiculae, maculae rubrae, furunculi et alia diversa secundum morbi et individui indolem diversam in conspectum veniunt. Phaenomenorum criticorum uti omnis curae duratio secundum circumstantias variat, nullumque anni tempus curae obstaculum ponit. Et revera Priessnitz suam curandi methodum felicissimo plerumque successu coronatam videt. Omnium conditionum homines malis diuturnis, dyscrasiis insanabilibus, uti scrophula, scorbuto, arthritide inveterata, rheumatismo chronico, syphilide, hydrargyrosi, impetiginibus etc. diu jam vexati a plurium annorum tempore magno numero ad eum confugerunt et salutem obtinuerunt; dummodo illis patientia, animus virilis et strenuum erga medicum obsequium haud defuerit. Singularis aniater persuasum sibi habet, methodum suam non esse panaceam, et qua homo probus illos, quibus ex anamnesi et intuitu practico non convenire scit, in curam haud suscipit. Per omnem Germaniam frequenter nomen Priessnitz sonat et in provinciis proxime sitis, imo in Anglia et America etc. auditur. — Jure meritoque — Methodum enim illam hippocraticam qua fidus summi viri alumnus excoluit et auxit. «Tumores autem in articulis et dolores absque ulcere podagraicos et convulsiones horum plurimas frigida multa affusa, et levat, et attenuat, et dolorem solvit», Hippocrates de aqua adserit. Haec et multa alia Priessnitz optime demonstrat. Illos, qui systemate, more

conceptо, aut proh dolor! ignorantia detenti, multa in hac methodo incongrua et absurda deprehendere volunt, factis refutat. Motum frequentem in aere libero et aqua frigida, diaetam simplicem et roborantem, copiosos aquae haustus, sudores tegumentis non defatigatione prolicitos balnei effectus, qui in perfusione ad summum gradum evehuntur, penetrantiores reddere principiis physiologiae et pathologiae nec minime contradicere, imo teste experientia maxime consentaneà esse, nemo negare potest.

Qui fusius legere vult et criticas desiderat illustrationes, adeat opuscula nuper edita doctoris Kroeber Bratislaviensis, Dris Kurtz et nonnullorum aniatrorum, qui omnia attente observarunt, aut proprio organismo tentarunt.

THESES DEFENDENDAE

I.

Pseudiatrorum modus medendi in confusione, quam in organismo excitant, consistit, ex qua natura victrix prodit.

II.

Medicus rationalis aegrum, systematicus se suumque systema ante oculos habet.

III.

Psychrolusia egregium macrobioticum.

IV.

Balneum frigidum aestatis tempore calorem, tempore hiemis frigus moderat.

V.

Aqua frigida remedium anodynum.

VI.

Balneum multum frigidum, ceteroquin indicatum, quo debilius individuum eo frigidius sit, ast eo brevior fiat mora in illo.

VII.

Non morbus qua talis, sed morbus in individuo curandus.

VIII.

Non in retina, sed in cerebro percipiuntur rerum imagines.

IX.

Aloe non directe, sed ope bilis uberius secretae, purgat.

X.

Purgantia non solum in obstipatione, sed etiam in profluvio alvi possunt esse indicata.

XI.

In febri inflammatoria altioris gradus, nulla venaesectionis absoluta contraindicatio.

XII.

Medicus rationalis morbum cognoscit, fortunatus sanat.